INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XXVIII. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXII.

1862

HABEBVNTVR.

M. Haupt

De Aristophanis Avium versibus nonnullis

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

In Aristophanis Avibus postquam Euelpides ut upupam excitaret lapide saxum pulsavit et παῖ παῖ exclamavit, Pithetaerus his eum verbis increpat v. 57,

τί λέγεις οὗτος; τὸν ἔποπα παῖ καλεῖς;
οὐκ ἀντὶ τοῦ παιδός σ' ἔχρην ἐποποῖ καλεῖν;

Pithetaerus, inquam. nam cum in libris scriptum sit Πεισθέταιρος v. 644 1123 1495, Πεισθέταιρον v. 1046, Πεισθέταιρε v. 1271, rectissime sane Dobraeus Adv. II p. 213 hanc nominis formam non esse Graecam intellexit, sed quod aut Πισθέταιρον aut potius Πεισέταιρον restituendum esse censuit, neutrum tam probabile esse videtur quam quod Guilelmus Dindorfius mutatione omnium lenissima recuperavit nomen Πειθεταίρου, cui adsimile est forma et significatione Πειθόξενος in titulo Attico Boeckhii t. I p. 359. in Pithetaeri igitur illis verbis pronomen recte addidit Beckius: omissum est in libris melioribus, in deterioribus ut numeri versus conplerentur inepte scriptum παιδός γ' ἔχρην. sed παιδός non tolerandum ratus Cobetus Mnem. II p. 102 scribi iubet παῖ παῖ. nimirum ante dimidium saeculum idem protulit Elmsleius in addendis ad Acharnensium v. 36 repetiitque postea Medeae p. 287. Cobetus enim etsi non solet magnopere veterum grammaticorum existimationi favere, unius tamen grammatici sententiam admirari planeque suam fecisse videtur, Donati, quem Hieronymus discipulus eius dixisse narrat 'pereant qui ante nos

A 2

nostra dixerunt:' tam non laborat scire utrum nova proferat an dudum nota et a pluribus sive recte sive falso dicta. veluti in ipsis illis quas commemoravimus Aristophaneis emendationibus non pauca ab aliis demonstrata occupat tamquam nova et quasi peragret avia Pieridum loca, nullius ante trita solo. sed insignia sunt in hoc genere quae in quadam Mnemosynes particula, cuius forte recens nobis est memoria, praestitit. quarta est voluminis noni. ibi p. 392 demonstrat Iliadis ɪx 230 σαώσεμεν mutandum esse in σόας ἔμεν. biennio ante Immanuel Bekkerus Iliadem iterum ediderat. quid ille scripsit? ἐν δοιῇ δὲ σόας ἔμεν ἢ ἀπολέσθαι Νῆας ἐυσσέλμους. p. 398 'ridiculus error e Platone removetur' doceturque eum p. 932[c] non scripsisse ἕκαστον sed ἑκατόν. anni erant septem et viginti ex quo Bekkerus commentariorum Platonicorum t. ɪɪ p. 244 haec scripserat, 'ἕκαστον: an ἑκατόν?' siquid hic est ridiculi, non error tantum ille est librariorum. verum abstinemus a pertractanda materia quae uberrima quidem est sed minime iucunda: neque timendum est fore ut qui ante hunc Agamemnona vixere fortes inlacrimabiles urgueantur ignotique longa nocte. itaque ut ad Aristophanis versiculum redeamus, inutile et frivolum est illud Elmsleii Cobetique παῖ παῖ, non quo scribere ita non potuerit Aristophanes, sed quia ἀντὶ τοῦ παιδός scripsit rectissime. 'amant veteres ubi forma tantum vocabuli respicitur non, ut nos solemus facere in vocibus citandis, extra constructionem illud ponere, sed cum oratione conectunt:' verba sunt Lehrsii Quaest. ep. p. 325, qui satis notam dicendi consuetudinem, cuius non meminisse Elmsleium et Cobetum, utrumque Graece doctissimum, miramur, multis exemplis declaravit. Dobraeus autem Adv. ɪɪ p. 214, videlicet ut παιδός non mutandum esse significaret, ea conferenda esse monuit quae in Demosthenicis suis congessit Adv. ɪ p. 429. in quibus recte ad eandem dicendi formam refert quod Avium v. 184 legitur ἐκ τοῦ πόλου τούτου κεκλήσεται πόλις. quem versum qui praecedunt quoniam nuper partim eiecti sunt, experiundum est siqua nostra ope reducere possimus non sua culpa exules. iubet Pithetaerus epopem oculos deorsum et sursum ferre. paret ille, sed nihil videt praeter nubes et caelum. tum Pithetaerus οὐχ οὗτος οὖν δήπου 'στὶν ὀρνίθων πόλος; et ille πόλος; τίνα τρόπον; tum Pithetaerus

ὥσπερ εἰ λέγοις τόπος.
ὅτι δὲ πολεῖται τοῦτο καὶ διέρχεται
ἅπαντα, διὰ τοῦτό γε καλεῖται νῦν πόλος·
ἢν δ' οἰκίσητε τοῦτο καὶ φράξηθ' ἅπαξ,
ἐκ τοῦ πόλου τούτου κεκλήσεται πόλις.

scriptum est in libris ὥσπερ εἴποι τις τόπος. quod cum ferri nequeat, excogitari

autem possint aut excogitata sint plura, iure videtur Meinekius adquievisse in eo quod Cobetus protulit: sic postea dicitur v. 282 ὥσπερ εἰ λέγοις Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας. sed quod idem eidem adsensus est delenti proximos duos versiculos, id minus probabile esse nobis videtur. de eo non litigabimus, utrum ὅτι scribendum sit an, quod Dindorfio placuit, ὁτιή: quamquam errasse videtur Dindorfius cum in adnotatione ad Pacis v. 211 ὁτιή in libris servatum esse dixit. proximo versu τοῦτό γε est in libris deterioribus, sed γε abest a melioribus, additumque illic est, ut numerorum damnum sarciretur, artificio vulgari et satis absurdo. nam ne ea quidem quae Dobraeo in mentem venerunt, διὰ τουτὶ vel διὰ δὴ τοῦτο καλεῖται νῦν πόλος, probari possunt. etenim quem πόλον Pithetaerus dicit caelum est sive aer neque ullo modo dici potest διέρχεσθαι ἅπαντα. contra rectissimum est quod Bergkius invenit et ipse Meinekius, etsi duos illos versus in marginem reiecit, tamen necessarium esse vidit, ὅτι δὲ πολεῖται τοῦτο καὶ διέρχεται Ἅπαντα διὰ τούτου, καλεῖται νῦν πόλος. atque hoc ipsum legit vetus interpres, cuius hoc est scholion, τὸ μέν τι παραφράζει τὸ προειρημένον τῶν ὀρνίθων, ὅτι ἔστι τόπος τις αὐτῶν ἐν ᾧ διατρίβουσι, τὸ δὲ καὶ πρὸς τὸν σχηματισμὸν τοῦ ὀνόματος παίζει, τόπος καὶ πόλος. ἑξῆς δὲ ἐτυμολογεῖ αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πολεῖσθαι. πόλον γὰρ οἱ παλαιοὶ οὐχ ὡς οἱ νεώτεροι σημεῖόν τι καὶ πέρας ἄξονος, ἀλλὰ τὸ περιέχον ἅπαν. Εὐριπίδης Πειρίθῳ 'καὶ τὸν Ἀτλάντιον φρουρῶν πόλον,' ὡς αὐτοῦ τε περιπολουμένου καὶ δι' αὐτοῦ πάντων ἐρχομένων. neque alio pertinet brevius Ravennatis libri scholion, πόλος παρὰ τὸ πολεῖσθαι ἐν αὐτῷ πάντα. si autem scribimus, quod Bergkius scribendum esse intellexit, διὰ τούτου, nihil amplius restat quod merito reprehendas. nam quod idem pronomen demonstrativum quater inculcatur tantum abest ut molestum sit et vituperandum ut ridiculam grammaticae expositionis gravitatem lepide augeat. non possunt autem duo illi versus deleri. nam postquam epops illud quod Pithetaerus dixit ὀρνίθων πόλος se non intellegere fassus hanc interrogationem protulit, πόλος; τίνα τρόπον;, non satis est si hoc tantum ille respondet, ὥσπερ εἰ λέγοις τόπος. ἢν δ' οἰκίσητε τοῦτο et quae secuntur. neque enim miratur tantum epops πόλιν quae antea dicta erat (v. 171 172) nunc dici πόλον, sed omnino vocabulum non intellegit quod dum inter homines versabatur numquam audiverat ea certe qua Pithetaerus utitur significatione dictum. frequentant eam philosophi et poetae, non vulgi sermo. itaque necessarii sunt illi versiculi. quodsi delemus eos et satis esse putamus si Pithetaerus respondet spatium quod demonstret dici πόλον ut τόπον, sed mox fore ut ex masculino fiat femininum et ex πόλῳ πόλις, adparet epopis illud πόλος; τίνα τρόπον; iusta responsione destitui et hiare omnia. quae congruunt et cohaerent aptissime, ipsa etiam orationis

forma (nam rectissime inter se opponuntur νῦν et ἢν δ' οἰκίσητε τοῦτο), si omnia servantur.

Illud autem, a quo disputatio nostra incepit, ἀντὶ τοῦ παιδός etsi minime dictum est inusitate, tamen ad eam dicendi consuetudinem saepe accurate attendendum est ut Graeci Latinive sermonis proprietas recte percipiatur. veluti in Avibus (v. 813 ss.) quod Euelpidis consilium βούλεσθε τὸ μέγα τοῦτο τοὐκ Λακεδαίμονος Ὄνομα καλῶμεν αὐτήν; ita Pithetaerus refutat, Ἡράκλεις· Σπάρτην γὰρ ἂν θείμην ἐγὼ τήμῇ πόλει; Οὐδ' ἂν χαμεύνῃ πάνυ γε, κειρίαν γ' ἔχων (ubi videndum est ne Aristophanes scripserit οὐδ' ἂν χαμεύνῃ 'γὼ πάνυ κειρίαν γ' ἔχων), eadem dicendi consuetudine partim nititur iocus, quem, ut multa alia, Germanici interpretes imitari frustra conantur. et fefellit eadem sermonis forma ut in Aristophanis versu Elmsleium et Cobetum ita etiam alibi doctos homines. uno defungamur exemplo. Herodotus III 46 haec narrat, ἐπείτε δὲ οἱ ἐξελαθέντες Σαμίων ὑπὸ Πολυκράτεος ἀπίκοντο ἐς τὴν Σπάρτην, καταστάντες ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας ἔλεγον πολλὰ οἷα κάρτα δεόμενοι. οἳ δέ σφι τῇ πρώτῃ καταστάσι ὑπεκρίναντο τὰ μὲν πρῶτα λεχθέντα ἐπιλεληθέναι, τὰ δὲ ὕστερα οὐ συνιέναι. μετὰ δὲ ταῦτα δεύτερα καταστάντες ἄλλο μὲν εἶπον οὐδέν, θύλακον δὲ φέροντες ἔφασαν τὸν θύλακον ἀλφίτων δέεσθαι. οἳ δέ σφι ὑπεκρίναντο τῷ θυλάκῳ περιεργάσθαι· βοηθέειν δ' ὦν ἔδοξε αὐτοῖσι. in his Wesselingius τῷ θυλάκῳ περιεργάσθαι ita interpretatur ut dicat Lacedaemonios Samios nimiae loquacitatis damnasse quoniam satis fuisset ostensum panarium, additque rem manifestam esse ex Sexti empirici libro II adversus mathematicos. de Sexto postea videbimus: sed τῷ θυλάκῳ περιεργάσθαι ita ut Wesselingius putavit dici non posse certum est atque apertum. nuper autem alia eaque valde mirabilis prolata est interpretatio, quam quibus verbis concepta est hic adscribendam esse putavimus ne mentiri videremur. 'τῷ θυλάκῳ περιεργάσθαι "mit dem beutel hätten sie etwas überflüssiges, unnützes gethan," es könne der beutel nichts dazu beitragen ihre bitte verständlich zu machen. der tadel bezieht sich auf das unpassende, schiefe des gewählten gleichnisses. dass man schon im alterthume die worte nicht mehr recht verstand zeigt die gezwungene erklärung bei Sextus emp. adv. math. II 23, der das περιεργάσθαι auf die beim vorzeigen des sackes hinzugefügten erklärungsworte bezieht, ἀποχρώντως κενὸς δειχθεὶς ὁ θύλακος ἐσήμηνε τὴν αἴτησιν.' nulla est in eis quae Samii dixerunt feceruntque similitudo vel allegoria, nec recta nec perversa, sed in interpretatione, quae ipsius antiquitatis captum superare sibi videtur Sextumque quasi Graece nescierit insimulat, perversa sunt omnia. Sexti haec est narratio pagina Bekkeri 679. Lacedaemonios dicit non in civibus tantum sed etiam in peregrinis sermonis brevitatem requirere: ἐκ

μέσων μέντοι γε καὶ τὸν Χίων πρεσβευτὴν περὶ ἐξαγωγῆς πυροῦ δεόμενον, ἐπεὶ μακρῶς ἡρμήνευσε τὴν δέησιν, ἄπρακτον ἐξαπέστειλαν, ἑτέρου δὲ πεμφθέντος συντομωτέρου (ἤπειγε γὰρ ἀνάγκη τοὺς Χίους) ἔδοσαν· κενὸν γὰρ θύλακον αὐτοῖς οὗτος ἀνατείνας ἀλφίτων αὐτὸν ἔφη δεῖσθαι. ὅμως δ' οὖν καὶ τοῦτον ὡς ἀδολέσχην ἐμέμψαντο· ἀποχρώντως γὰρ κενὸς δειχθεὶς ὁ θύλακος ἐσήμηνε τὴν τῶν Χίων αἴτησιν. manifestum est Sextum aut non memoriter meminisse quae apud Herodotum legerat aut potius alium secutum esse scriptorem qui quae Herodotus de Samiis exulibus perhibet de Chiorum aliquo legato et paullo aliter narravit, ut solent variari eiusmodi narratiunculae. apud Sextum Lacedaemonii satis futurum fuisse dicunt si legatus Chiorum vacuum ostendisset saccum nullumque adiecisset verbum; paullo clementius apud Herodotum Samiis haec dicunt, 'satis erat ἀλφίτων δεῖται, inutile autem adicere ὁ θύλακος, nam hunc videmus.' adparet iam neque Valckenarium haec intellexisse neque qui illi adsensus est Schaeferum: nam in eis quae antecedunt scripserunt θύλακον δὲ φέροντες ἔφασαν ἀλφίτων δέεσθαι, deleto eo quod prorsus necessarium est. omnino eorum qui de illis Herodoti verbis aliquid dixerunt unus Schweighaeuserus videtur rem intellexisse.

Sed dixerit aliquis nos quoque tota nostra disputatione περιεργάσθαι. esto: trita protulimus, sed iuvenibus fortasse non inutilia; neque magnopere verendum nobis est ne docti homines haec nostra legant. quodsi qui tamen lecturi sunt, taedium eorum fortasse conpensabimus maculis duabus ex eisdem libris de quibus disputavimus eluendis. itaque apud Herodotum III 128 haec leguntur, βιβλία γραψάμενος πολλὰ καὶ περὶ πολλῶν ἔχοντα πρηγμάτων σφρηγῖδά σφι ἐπέβαλε τὴν Δαρείου, μετὰ δὲ ἤιε ἔχων ταῦτα ἐς τὰς Σάρδις. ineptum est ἔχοντα ita explicare ut ἔπεα, λόγους, ἐντολάς vel simile aliquid cogitatione addi iubeatur. plana omnia fiunt et recta si scribimus ἐόντα. non minus certa emendatione restituere nobis videmur Avium versum 484. persequitur Pithetaerus pristinam avium potentiam,

αὐτίκα δ' ὑμῖν πρῶτ' ἐπιδείξω τὸν ἀλεκτρυόν' ὡς ἐτυράννει
ἦρχέ τε Περσῶν πρῶτον πάντων, Δαρείου καὶ Μεγαβάζου,
ὥστε καλεῖται Περσικὸς ὄρνις ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔτ' ἐκείνης.

ineptum est πρῶτον. unde Guilelmo Dindorfio visum est scribendum esse πρότερον. addit 'nam si illo uti voluisset poeta, πρῶτος potius scripsisset.' atqui cum neutro congruit quod sequitur Δαρείου καὶ Μεγαβάζου. hinc Meinekius probavit quod R. B. Hirschigius scripsit ἦρχέ τε Περσῶν πάντων πρότερος Δαρείου καὶ Μεγαβάζου. sed ne hoc quidem ab Aristophane profectum est. etenim ut taceamus πάντων ad Persarum nomen inutiliter additum esse, neque enim plane simile est quod v. 504 di-

citur Αἰγύπτου δ' αὖ καὶ Φοινίκης πάσης κόκκυξ βασιλεὺς ἦν, sed hoc ut taceamus, nobilissima fuit inter Persas Megabazarum sive Megabyzorum gens, sed nullus fuit Megabazus qui tamquam rex Persarum commemoraretur. atqui fuisse deberet si recte dictum esset singulari numero Μεγαβάζου. sed scripsit Aristophanes

ἦρχέ τε Περσῶν, πρότερος πάντων Δαρείων καὶ Μεγαβάζων.

inutile est exponere qua mendarum progressione oratio depravata sit.

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXIII
VSQVE AD D. XIX. M. MARTII A. MDCCCLXIV.

HABEBVNTVR.

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS.